

ORATIO INAUGURALIS

STUDIORUM

SEMINARII TRIDENTINI CENTRALIS D. COECLII

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM AGENS,

coram Illmo. D. Governatore ecclesiastico S. P.

PRO

EXCMO. ET ILLMO. PRE. P. P. BENVENUTO

MONZON ET MARTIN,

ARCHIEPISCOPO GRANATENSIS,

à D. D. Josepho Antonio Carulla et Estrada,

EJUSDEM ECCLESIAE CANONICO DOCTORALI, NECNON

PREDICTI SEMINARII JURIS CANONICI PROFESSORE,

DIE 1 OCTOBRI ANNI 1878

HABITA.

De Ordinarii licentia.

GRANATÆ:

TYPIIS DOMINI HIERONYMI ALONSO.

1878.

BIBLIOTECA  
SERIE  
C  
101  
54 (27)

7 400 40

**Safra**

MADE

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21

R/24127

# ORATIO INAUGURALIS

STUDIORUM

## SEMINARII TRIDENTINI CENTRALIS D. COECLII

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM AGENS,

coram Illmo. D. Governatore ecclesiastico S. P.

PRO

EXCMO. ET ILLMO. PRE. P. P. BENVENUTO

MONZON ET MARTIN,

ARCHIEPISCOPO GRANATENSIS,

á D. D. Josepho Antonio Carulla et Estrada,

EJUSDEM ECCLESIAE CANONICO DOCTORALI, NECNON

PREDICTI SEMINARII JURIS CANONICI PROFESSORE.

DIE 1 OCTOBRI ANNI 1878

HABITA.

De Ordinarii licentia.



GRANATÆ:

TYPIB. DOMINI HIERONYMI ALONSO.

1878.

L. Gaer - 21 ENER. 93



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA

Signo: C  
Estadío: 001  
Número: 054 (27)

R/24127

# ORATIO INAUGURALIS

STUDIORUM

SEMINARII TRIDENTINI CENTRALIS D. COECLII

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM AGENS,

coram Illmo. D. Governatore ecclesiastico S. P.

PRO

EXCMO. ET ILLMO. PRE. P. P. BENVENUTO

MONZON ET MARTIN,

ARCHIEPISCOPO GRANATENSIS,

á D. D. Josepho Antonio Carulla et Estrada,

EJUSDEM ECCLESIAE CANONICO DOCTORALI, NECNON

PREDICTI SEMINARII JURIS CANONICI PROFESSORE.

DIE 1 OCTOBRI ANNI 1878

HABITA.


De Ordinarii licentia.

GRANATAE:

TYPIB. DOMINI HIERONYMI ALONSO.  
1878.

L. Gaer - 21 ENER. 93







Illuc. Oue:

Doctores ornatissimi:

Juvenes desideratissimi:

**I**nter fere innumeras momenti maximi quæstiones ad jus ecclesiasticum publicum spectantes, locum non quidem infimum obtinet ea quæ ad determinandas relationes inter Ecclesiam et Statum à doctoribus agitur.

Dilucidatio hæc gravissima est et transcendentalis hodierna præsertim ætate, in qua nonnulla gubernia principiis protestantibus penitus imbuta, Ecclesiæ catholicæ totis quas habent viribus hostilia, ejusque admirabilem constitutionem et auctoritatem divinitus acceptam labefactare, et, si fieri posset, è medio tollere et ad nihilum redigere conantia, nullum non lapidem movent ad funditus evertenda fundamenta robustissima quibus ejus missio ad moderandas conscientias et ad hominem ad finem ultimum ducendum firmiter nititur.

Scio equidem materiam esse istam quam aggredior salebrosissimam, scopulis et periculis quocumque conspiciatur aspectu refertam; nec me aliunde latent, tum ingenii mei imbecillitas, tum rerum in hac oratione agendarum ignorantia qua scateo; attamen præ oculis habeatis amabo non ex libera voluntate et electione hunc me laborem temeriter suscepisse; sed ut obligationi muneri quo fungor in hoc almo carissimo nostro centrali Seminario annexo faciam satis. Non igitur fas

mihî fuit nec bene visum fuisset debito obedientiæ adimplemento me subtrahere, et si verum ingenue fateri velim, cum opportunitatem arripere ingenti desiderio flagrassem aliquid proferendi quod in honorem, laudem et exaltationem sanctæ Matris Ecclesiæ redundaret, licet aliqualem timorem ea quæ pertractanda suscepi in animum meum ob eorum difficultatem infundant, tamen alacriter et per jucunde ad munus meum obeundum minori qua valeam imperfectione, et modo minus indigno vestræ benevolentia et eruditionis me convertam.

Nec me intendere arbitremini (quod foret sane inexcusabilis audacia), tractationem completam, omnibusque numeris absolutam et undequaque perfectam de relationibus inter Ecclesiam et Statum conscribere: hoc enim omnino prohibent, tum intellectus mei tenuitas, omnium vestrum apprime nota, tum angustia temporis quo disponere possum in tanta munerum quotidie ingruentium proluvie, tum denique indoles hujus operis; quibus omnibus fit ut pauca quædam tantum vestris oculis subjicere valeam super his quatuor capitibus à me in hac oratione breviter enucleandis.

*Primum* erit de institutione divina et necessitate utriusque potestatis.

*Secundum* de perfecta inter utramque potestatem distinctione.

*Tertium* de necessitate mutui fœderis et auxiliî inter ipsas.

*Quartum* et ultimum de reciproca inter utramque potestatem independentia.

## I.

Omnibus sane debet esse sat superque comper-  
tum, creaturam rationalem efformare in hoc mundo partem duarum societatum perfecte distinctarum inter se, religiosæ videlicet et civilis, unaquæque earum comple-



ta in suo genere; cum vero existentia hominis non circumscribatur ad breves dies quibus nunc militat super terram, sed in æterna et finali prædestinatorum societate ad quam olim debet pertinere compleatur, necesse est ut quidam nexus intimus adsit inter prædictas societates transitorias, et societatem ultimam, permanentem atque perdurabilem.

Relationes istæ vel positivæ erunt vel negativæ; et si majori proprietate loqui malumus, vel directæ vel indirectæ: directas illas nuncupabimus quæ adsunt inter societatem directe et immediate præparatoriam alterius finalis societatis beatorum, qualis est societas religiosa; indirectæ vero audient illæ relationes quæ existunt inter societatem indirecte præparatoriam societatis beatorum, qualis est civilis, in hunc finem instituta ut præter bonum inferioris ordinis quam felicitas æterna, idest temporalis beatitudo, quod promovere debet positive, ita bonum istud promovere debet, ut ex ista promotione nullum sequatur impedimentum assecutioni beatitudinis æternæ, quæ quidem est bonum à societate religiosa promovendum.

Si finis ultimus, qui alius esse nequit, ut innui, quam interminabilis et indeficiens beatorum societas, assignatus homini sit à Supremo rerum omnium Moderatore, indubium est quod si ipsius creaturæ rationalis existentia tum individualis tum socialis et si opera ab eadem creatura rationali exerenda virtute operativa qua prædita invenitur, rationem mediorum ad suum ultimum finem ducentium habere debeant, cum illius sit media disponere qui finem determinat et assignat, cumque societas tum ecclesiastica tum civilis nihil aliud sint quam media quæ hominem ad suum ultimum finem ducant, dictæ societates debent esse necessario à Deo ordinatæ.

Hinc institutio divina utriusque societatis.

Sed extra dubium pariter est nullam societatem ut talem operari posse quin ipsi præsit aliqua potestas



ad cujus munus spectet prædictam societatem movere ad suum finem; hæc igitur potestas ita est societati essentialis, ut absque ea prorsus corruere necesse sit, juxta illud sacræ Litteræ proloquium: *Ubi non est gubernator, populus corruet* (Prov. XI. 14): unde sequitur potestatem directivam societatis perinde ac societatem ab ipsa potestate directam, à Deo necessario originem duxisse; ad quod alludit expressis verbis Apostolus in Epist. ad Romanos ajens: *Non est potestas nisi à Deo* (XIII, 1); et apparet ex alio testimonio ab ipso Domino nostro J. C. ad Pilatum loquenti prolato: *Non haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* (Joan. XIX, 11).

Homo igitur in facto associationis cum aliis creaturis rationalibus ad ens morale constituendum, plurimis individuis coalescens, propriæ naturæ instinctibus obsecundat; aliter enim quam in associatione suis necessitatibus subvenire nequiret; et exinde manifeste colligitur civilem hominum associationem à jure proprie divino procedere, nisi affirmare satius alicui videatur jus naturale non esse jus vere propriæque divinum.

Præterea, factum universalissimum cum sit associatio humana de qua nunc loquimur, licet diversissima rerum, personarum, et aliorum similium adjuncta in hujus facti evolutione historica concurrerint, (quæ quidem adjuncta originem dederunt diversis pariter associationibus quæ nationes audiunt), universalitas inquam hujus facti, cuidam Divinæ Providentiæ consilio ascribi necessario debet, quod sane consilium fortasse fuerit voluntas instituendi aliam societatem universalem ecclesiasticam, in qua nulla daretur hominum exclusio, ut ex hac admirabili universalitate inferri valeret excellentia hujus societatis ecclesiasticæ super societate civili.

Animadvertere tamen opere pretium est non esse confundendam originem divinam societatis civilis cum origine historica factorum quæ initia fuerunt societatum civilium particularium quæ nationes appellantur:

facta ista tantummodo remotissima quadam ratione divina nuncupari possunt, quatenus in eorum productione Deus tamquam causa prima omnium rerum quæ in mundo producuntur intervenit; prætermitti tamen nequit actio causarum secundarum, hominum videlicet, quibus veluti immediate operantibus prædicta facta sunt adjudicanda; et proinde proprius et accommodatius facta humana appellanda sunt.

Si utraque societas, ecclesiastica scilicet et civilis originem habet divinam, ut demonstrare curavi, non est minus certa institutio divina potestatum ad earum regimen institutarum; potestas enim ad regimen alicujus societatis instituta superioritatem respectu ipsius societatis arguit; hæc est enim et non alia notio quæ de omni potestate communiter efformatur; qui eam exercent, præcipiendo exercent; super quibus exercetur, obtemperando exercetur; nunc igitur potestas imperandi superioritatem arguit; obligatio obediendi, inferioritatem; evidentissimum autem est nullam esse omnino inter homines, quantum ad naturam qua pollent spectatos, reciprocam superioritatem nec inferioritatem, sed adesse perfectissimam æqualitatem; unde sequitur quod ad hoc ut aliqui jure imperandi gaudeant, illud haurire à superiori origine, quæ tantum Deus esse potest, debuerunt.

Utriusque potestatis divina origine jam in propatulo posita, ipsius necessitatem evincere, negotium inter omnia facillimum esse per se patet; nam in primis si necessaria homini sit societas civilis, quia sine ea felicitatem temporalem, ad quam naturaliter tendit, obtinere non posset, necessaria etiam prorsus est potestas quæ talem promoveat felicitatem, impulsu directivo mediante, et, ubi actio hæc directrix sufficiens non sit, vim activam exercendo in contumaces; æquali vero modo ratiocinandum est circa societatem ecclesiasticam, clarissima enim sunt, et luce meridiana evidentiora Sacrarum Scripturarum, præsertim Novi Testa-

menti testimonia ex quibus infertur voluntatem fuisse Christi omnes filios Adæ in unam societatem religiosam universalem congregare, intra quam, non vero aliorum nec alio modo, homines felicitatem æternam adipiscerentur; ideoque voluntas pariter ipsius Christi esse debuit prædictæ societati potestatem aliquam præficere, quæ societatem moveret ad suum finem, motu quodam directivo, et ubi hæc motio non sufficiat, actione coactiva in rebelles et contumaces.

## II.

Postquam de divina egimus utriusque potestatis institutione, necnon de ipsius absoluta necessitate, agendum nobis erit de perfecta quæ inter eas existit distinctione. Hanc vero distinctionem quinque veluti fontes nobis luculentissime patefacient; *primus* erit societatum origo; cæteri vero quatuor characteres qui alteram ab altera ita distinguunt ut nequeant inter se confundi; primus character est *supernaturalismus* potestatis ecclesiasticæ in contrapositione *naturalismi* potestatis civilis; secundus *universalismus* potestatis ecclesiasticæ in contrapositione *particularismi* potestatis civilis; tertius, *unitas* potestatis ecclesiasticæ in contrapositione *varietatis* potestatis civilis; quartus et ultimus *permanentia* potestatis ecclesiasticæ in contrapositione *fugacitatis* potestatis civilis. Cuncta hæc quinque discrimina seorsim, sed summatim expendemus.

---

*Origo.* Potestas civilis à Deo utique procedit, sed tamquam auctor ordinis naturalis; ecclesiastica vero procedit à Deo tamquam auctor ordinis supernaturalis; civilis procedit à Deo processione quadam generali, quatenus universa quæ in mundo rationem bonitatis et perfectionis habent, à Deo sunt; procedit mediate, mediante

scilicet ipsa rerum natura, á providente Deo in ipso creationis initio constituta, et ad cujus rationem pertinet ut creaturæ omnes, et maxime creaturæ rationales ad suum finem debita ratione, idest, in multitudine rite gubernata deducantur; potestas vero ecclesiastica procedit á Deo tamquam qualitas positiva (ut modo loquendi utar scholastico) Ecclesiæ supernaturaliter concessa, et modo certo, determinato, immediato, hominibus qui eam exercent collata. Subjectum immediatum potestatis civilis est communitas politica, á qua in principem, in optimates, vel in alios quoscumque qui per designationem communitatis ipsam exercere debent, transferitur; subjectum immediatum potestatis ecclesiasticæ est persona ineffabilis Jesu Christi, et fundamentum habet in unione hypostatica Æterni Verbi cum natura humana Redemptoris nostri; et á Christo Domino nostro transfertur in personas ecclesiasticas ab ipso Christo designatas ad exercendum in societate christiana hanc supremam potestatem: potestas civilis pertinet ad ordinem naturalem, quia finis ad quam est instituta coarctatur ad beatitudinem hominis temporalem procurandam; ecclesiastica pertinet ad ordinem supernaturalem, quia ipsius finis est hominem perducere ad æternam beatitudinem.

Ex quibus patet quantum ad originem, tametsi utraque potestas á Deo procedat, in modo vero procedendi alteram ab altera essentialiter differre.

---

Ab origine harum potestatum pergimus ad expendendas qualitates utramque potestatem distinguentes. Potestas ecclesiastica spiritualis est et supernaturalis ex natura sua; *spiritualis*, quia exercetur potissimum morali modo in spiritum, seu quod idem est, in interiorum hominem, ejus facultates intellectuales et morales rite dirigendo; et licet vitandum accurate nobis sit illorum error qui non totum hominem sed tantum ejus ani-

mam Ecclesiæ potestati subjectam esse autumant, quia corpus statui civili exclusive adjudicant; tamen nullimode in dubium revocari potest, spiritum esse præcipuum jurisdictionis ecclesiasticæ objectum, unde sequitur potestatem spiritualem esse; est etiam *supernaturalis*, quia in sacratissimo nostræ divinæ Religionis mysterio ortum habuit, et quia ad effectus supernaturales producendos, sanctitatem videlicet in hac vita et beatitudinem æternam in altera, ut superius dixi, instituta fuit. Potestas autem civilis non transcendit ordinem naturalem, quia hominem spectat tamquam membrum associationis politicæ, quod quidem respectu potestatis subjectionem habere debet, respectu vero cæterorum membrorum debet in fraterna animorum unione vivere; cum vero hisce sub respectibus finem ordinis tantummodo naturalis sit consequuturus, hinc est quod potestas civilis intra spheram ordinis naturalis se continet, quia hominem respicit velut aliam ex creaturis (licet inter omnes nobilissimam) ad rerum universitatem spectantibus, abstractione facta bonorum supernaturalium, ad quorum assequutionem equidem vocatur, non vero in quantum est membrum societatis politicæ, sed quatenus est membrum societatis religiosæ, prout autea manifestavi.

---

Tertia inter utramque potestatem eaque non utique spernenda distinctio est *particularismus* status politici et *universalismus* Ecclesiæ catholicæ. Scio equidem statum in sua generali notione spectatum, abstrahendo á particularibus formis sub quibus eum in praxi conspiciamus, universalissimum esse, quia institutio est in ipsa hominis naturali conditione fundata, in concreto vero sumptus et in applicatione practica ad unamquamque ex circumscriptionibus territorii quæ nationes appellantur, suam universalitatem amittit ut veluti circumindutus appareat particularibus et diversissimis formis quæ inter eosdem status distinctiones pene

innumeras inducunt, tamquam entia politica existentiam moralem habentia. Nec aliter se res habere potest, originem namque cum habeat unaquæque harum nationum in peculiaribus diversæ indolis causis in successivo temporum ordine productis juxta multiplicem factorum historicorum varietatem virtute libertatis humanæ gestorum, licet constantibus ac uniformibus Divinæ Providentiæ regulis subjectæ, non possunt non dari in unaquæque harum societatum sive communitatum politicarum essentialia discrimina quæ earumdem diversitatem quoad originem luculentissime ostendunt.

E contra evenit in societate ecclesiastica, hæc namque universalissima est, quia Ecclesiæ ambitus ad universum orbem se extendit; et in hoc sensu loquebatur Bonifacius VIII in illis verbis ex Bulla *Unam sanctam* excerptis: *Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis.* Ab ipsomet suæ existentie initio exierat in fines orbis terræ sonitus vocis Apostolorum; et licet ejus missio ad universum orbem extendatur, ubi tot tantæque inveniuntur morum, linguarum, traditionum diversitates, societas et potestas ecclesiastica existunt universaliter in medio harum diversitatum, de quibus certe non curat, quia ejus scopus est per universas mundi plagas diffundi, cunctosque homines complecti in adeo illimitata amplitudine sui domini.

Ad modum lucis quæ omnes aeris partes pervadens, una et eadem ubicumque existit, licet tot tamquæ variæ sint universi partes quas suis radiis est vivificatura, sic potestas ecclesiastica nullis coarctata limitibus in sua existentia, longe lateque in omnes nationes tum exultas tum barbaras expanditur ut eas illuminet splendentibus doctrinæ catholicæ fulgoribus, ut eas arctissimo et ineffabili divinæ charitatis nexu inter se conjungat, necnon ad finem ultimum ad quem tendere debent secure suaviterque perducat.

Ex hac numquam satis miranda Ecclesiæ catholicæ universalitate fit ut licet civis hispanus tamquam extraneus spectetur ubicumque degat extra fines Hispaniæ, et gallus extra fines Galliæ, homo tamen catholicus nullibi alienus est, quia ejus patria est universus orbis, et quocumque se vertat, cernit ibi eandem prorsus fidem profiteri, eadem sacramenta ministrari, eundem omnino cultum Deo exhiberi, easdem leges observari, eandam tandem potestatem ipsarum legum observantiam promovere.

Porro ambigendum non est catholicum hominem efformare partem alicujus ecclesiæ particularis, dantur enim præter ecclesiam universalem ecclesiæ particulares; hic vero particularismus ecclesiarum non generat independentiam inter ipsas, prout contingit in statibus, sed est particularismus filiationis ab una matre communi, ad quam omnes ecclesiæ particulares pertinent; sunt veluti partes cujusdam *totius* generalis ad cujus formationem omnes ecclesiæ concurrunt; et hæc ecclesiarum particularium ab universali dependentia adeo necessaria est ut quicumque separationis conatus, ipsam particularem ecclesiam ad miseram meræ aggregationis ecclesiasticæ solius nominis conditionem redigeret.

---

Discrimen inter utramque potestatem in superiori paragrapho expensum, in aliud nos ducit, quod est merum anterioris consecrarium. Ecclesiæ sane *universalitatem* ipsius *unitas* consequitur, sicut status politici *particularismo* respondet ipsius status *varietas*. Ecclesia una est in sua essentia, uniformis in suo agendi modo, tamquam corpus sociale; status varius est, in sua existentia, multiplex in suo agendi modo tamquam associatio politica. Non est hic locus late disserendi super hoc duplici caractere respective distinctivo Ecclesiæ et Status; aliunde, tot tantique sunt libri super Ecclesiæ unitate conscripti, ut parum aut nihil novi superaddere



possemus eis quæ abunde et copiose adducta sunt in omni tractationum genere, ab illis in quibus faciliora tantum nostræ divinæ Religionis principia traduntur usque ad illa quæ exponere et evolvere scientifica methodo curant fundamenta super quibus divina Ecclesiæ constitutio consurgit, formam specialem quæ eam á cæteris societatibus mere humanis secernunt, organizationem (ut vocant) potestatum publicarum ex quibus gubernamentalis hujusce mirificæ societatis machina coalescit, relationes tandem intimas quæ tum inter potestates in invicem tum inter potestates et associatos existunt.

Ecclesiæ unitas duplicem habet aspectum, temporis videlicet et spatii; unitas temporis consistit in identitate perfecta hodiernæ societatis ecclesiasticæ cum ea quæ fuit immediate et directe ab ipso Domino nostro Jesu Christo constabilita; unitas spatii est identitas perfecta societatis ecclesiasticæ cujuscumque terræ loci cum ea quæ adest in alio loco diametraliter opposito.

Quam diversum spectaculum nobis offert status politicus sub hoc respectu consideratus! Quanta varietas in eis! Vix ac ne vix duo invenientur qui in una et eadem politicæ constitutionis forma conveniant; adhuc in illis regionibus quæ eadem politici regiminis forma utuntur, dantur, etiam quantum ad adjuncta substantialia, diversitates mentione dignæ quæ modum essendi politicum harum associationum in infinitum variare faciunt. Quod quidem nobis affirmare cogit sicut unam dumtaxat dari Ecclesiam, ita dari quamplurimos status; et discrimen istud inter societatem ecclesiasticam et civilem est valde notatu dignum, ex eo enim transcendentalissima prodeunt consecraria quæ nobis notam faciunt indolem et characteres speciales unamquamque harum societatum quarum studium facimus apprimè distinguentes.

Postremus utriusque societatis distinctivus character est *perpetuitas ecclesiasticæ* in contrapositione *caducitatis* civilis. Et re quidem vera: perpetua Ecclesiæ permanentia et ipsius continuata et numquam interrupta existentia in eadem forma et absque ulla variatione, perpetuitatem potestatis ecclesiasticæ ad regimem ipsius societatis necessariæ indeclinabiliter exigit. Non deerunt utique persecutiones adversus ipsam, nec ejus pulcherrima hierarchia divinitus instituta libera evadet ab incursibus inimicorum eam constanter insidiantium: ea tamen inconcussa et immobilis in sua existentia permanebit, et potestas ab ipsa hierarchia exercita incolumis pariter perstabit in modo essendi et operandi. Nihil mirum; omnia sunt in hac admirabili hierarchia sapientissime disposita; et cum á Deo ipso fuerit immediate statuta, ipsius divinæ permanentiæ particeps erit, eousque quo Ecclesia ipsa perduret, perdurabit, idest, usque ad finem mundi.

Longe diversæ conditionis est potestas civilis sub hoc aspectu spectata. Verum quidem est, institutionem status politici *in genere* permanentem esse, et quousque humanum genus perduret, perduraturam, cum ut superius dixi, ad ipsius humanæ naturæ conditionem videatur prædictus status politicus referendus; verum pariter est, quod civilis potestas *in genere* tamquam conditio *sine qua non* ipsius status socialis, perpetua etiam esse debet, et cum eadem humanitate associata, nationes efformante coexistere; hi vero status, ut associationes efformatæ virtute diversorum et sæpe sæpius oppositorum adjunctorum, alii defecerunt, ut ad aliorum formationem originem dederint; alii in mundum politicum denuo apparuerunt in alias transmutati communitates formam politicam omnino diversam præferentes; alii ingentes dismembrationes passi fuerunt, amittentes integritatem totius entitatis politicæ quam per aliquod tempus efformaverint; alii absorpti sunt et velut in alios conversi, qui postquam vitam magis vel

minus robustam duxerant, penitus evanuerunt, ut jam non amplius extiterint.

Haud diffitendum equidem eandem subiisse variationem aliquot ecclesias particulares quæ post insignem et non brevem existentiam, penitus è medio sublatae fuerunt, hanc extinctionem, ob fines sibi soli notos, nec nobis umquam forsitan revelandos, Deo permittente; et cum ipsarum vita videtur pariter extinctam omnem probabilitatem novæ apparitionis in mundum religiosum; tamen hæ non sunt nisi rami cujusdam arboris sæcularis, cujus existentia stabilis perseverat in sua mirabili et uniformi identitate, cum status politici nullam aliam habeant subsistentiam præter eam quam per seipsum habent, absque ulla statui generali et universaliori incorporatione cujus integram partem efforment, veluti status particulares ad constitutionem aliquam *totius* concurrentes.

Acti hucusque sumus de divina origine deque utriusque potestatis necessitate; naturam pariter uniuscujusque in trutinam revocavimus; denotando eorum characteres particulares. Procedendum est nunc ad studium modi operandi utriusque potestatis, ut ex hoc studio colligamus an operari debeant separatim, an vero conjunctim, idest, mediantibus relationibus quibus altera in alteram influxum exerat.

### III.

In hac tanti ponderis quæstione de relationibus inter Ecclesiam et Statum, quam in hac dissertatione pertractandam assumpsi, vitari diligenter debent duæ opiniones extremæ quas sustentare indiscrete posset quicumque non satis accurate naturam utriusque societatis *characteristicam* (ut ita loquar) perpenderet. Alia ex his opinionibus, vel potius erroribus, illa foret quæ

duplicem societatem ita confunderet, ut ex duabus unam dumtaxat efformari assereret sub duplici aspectu consideratam; alia asset admittere quidem divisionem, eam tamen plus æquo extenderet, usque nempe ad totalem et completam utriusque potestatis separationem.

Confundi nequeunt, quia diversæ sunt; separari non valent, quia licet diversæ inter se, ad communem vitam agendam institutæ á Deo sunt, ad coexistendum in medio societatis humanæ, et ad promovendum permutuam unius super alteram actionem commoda quæ ex sua institutione sperare debet humanum genus, si bique proposuit paternalis et sapientissima Omnipotentis nostri Dei Optimi Maximi Providentia.

Quod non valeant inter se confundi, nullum dubium debet nobis esse, si in mentem revocemus argumenta quæ in demonstrationem ipsarum distinctionis sunt in medium producta.

Nunc evincendum nobis est distinctionem hanc non eousque perventuram, ut alteram ab altera separari, et alteram de altera curare non debere. Non sane: ab una enim et eadem prorsus origine procedentes, veluti filiæ ejusdem patris, et proinde veluti germanæ sorores spectari mutuo debent; nunc vero quis jure merito affirmare audebit quod sorores ab uno et eodem patre procedentes non debent sese mutuo protegere, nec mutuis necessitatibus prout unaquæque potuerit, subvenire? Præterea, utraque potestas instituta est ad beatitudinem hominis promovendam, quam quidem obtinere nulla ratione valeret, nisi utraque potestate suaviter directus.

Et re quidem vera, pro objecto enim cum habeat utraque potestas beatitudinem hominis promovere, unaquæque in sua sphæra, idest, in ea creaturæ rationalis parte quæ ei respective incumbit, (omnia enim in hac humanitate sunt intime connexa, corpus cum anima, pars inferior cum superiori, beatitudo temporalis cum

æterna felicitate), evidentissimum est has duas potestates ad hoc duplex bonum intime inter se connexum respective procurandum destinatas, armonice vivere et collatis consiliis, ut vocant, necessario operari debere.

Hinc est quod ecclesiastica potestas vindicare sibi debet omnia illa quæ ad bonum hominis spirituale facere possunt, ut missionem ad quam adimplendam instituta á Deo fuit, adimpleat; sed dum sibi jure merito vindicat exercitium absolutum libertatis perfectissimæ et totalis qua indiget in usu prædictorum mediorum, ut missionem ipsi assignatam adimpleat, vicissim non potest non recognoscere et confiteri in potestate civili libertatem legitimam, prudentem necnon in suo ordine supremam, qua necesse habet ut operetur in sphæra arctioribus quidem limitibus circumscripta, non vero parvipendenda quæ ipsi est etiam divinitus ascripta.

Sed operæ pretium duco qua operandi ratione auxilium mutuum sibi præstare utramque potestatem perpendere, ut suæ respectivæ missioni respondeant, utque ipsi adimplendæ incumbere valeant juxta utriusque naturam eis ab ipso rerum Auctore inditam.

Ecclesiastica potestas, licet ordinis tanto potestate civili superioris quanto spiritus materia, quanto cælum terra, doctrinam tenet de divina potestatis civilis origine, proindeque non potest non inculcare fidelibus obedientiam ipsi debitam, in mentem eis revocando celeberrima illa Apostoli Pauli verba: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.... ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (Rom. XIII, 1, 5); ipsis pariter exhibet divini Magistri vivida exempla, qui in tot ejus vitæ præclarissimis gestis quæ nobis Evangelium conservavit, observantiam potestati civili debitam exhibuit; quoniam vero christianus homo in omnibus modum sese gerendi divini Magistri accurate imitari debet, ita ut ipsius vita veluti vitæ Christi imago sit, statui

politico quam maxime interest ut membra quibus coalescit religionem catholicam colant, tantum enim religio catholica verum et debitum qui de civili potestate conceptum efformari debet, tenet et profitetur. Ea de causa, commodum quod á potestate ecclesiastica potestas civilis capit, inæstimabile est; nam obligatio subjectionis hominis, humanis, dummodo sint legitimæ, potestatibus, est obligatio ordinis spiritualis, sicut cætera obligationes quæ á divina religione suis cultoribus injunguntur, et reatum peccati contrahere docet præfatæ potestati non obtemperantem, prout contingit in eo qui aliquod ex cæteris nostræ religionis catholicæ præceptis infringit.

Indubium quidem omnibus esse debet obligationem civili potestati obsecundandi esse ordinis spiritualis, nam hæc auctoritas est quædam ipsius divinæ auctoritatis á qua omnis potestas derivat, repræsentatio; ac proinde huic potestati contraire, perinde est ac in ipsum Deum sese extollere; et si talis est idea quam de civili potestate efformare suos asseclas catholica religio docet, evidens est quod si voluntatem Dei frangere peccatum sit, peccatum erit etiam non obedire auctoritati cui Deus obtemperare præcipit.

Vicissim auctoritas politica versus ecclesiasticam observantissima esse debet, quæ adeo præstantem conceptum efformare docet de potestate civili; debet cum ipsa potestate splendide se gerere; debet ipsam in suo territorio magno cum gaudio excipere, cum omnibus consequentiis quæ ex hujus admissione potestatis naturali ratione fluunt, agnoscendo titulos Ecclesiæ ad dominium universale, ex vi missionis qua ei donata sit ab ipso Supremo rerum omnium Moderatore, Rege regum et Domino dominantium; et ea potestate libenter admissa, ipsi expeditam et omnimodam actionis relinquere libertatem ad regendum spiritualiter filios quos enutrivit, sine limitatione ulla; quia cognitionem perfectissimam cum habeat de potestate qua pollet, de-

que limitibus intra quos debet contineri, impossibilis est error (loquor de Ecclesia universali) in judiciis ab ipsa latis circa naturam ecclesiasticam vel civilem aliqujus quæstionis quæ inter utramque potestatem agitur. Curare quam maxime debet civiles politicasque institutiones in suo territorio existentes cum doctrina et institutionibus ecclesiasticis accurate conciliare; nam Ecclesia non modo in status ingreditur ut ad religiosam et moralem individuorum singillatim sumptorum utilitatem attendat, sed etiam ut entitatem socialem informet in salutaribus catholicismi doctrinis et præceptis; error enim est inter omnes gravissimus, prout in sequenti paragrapho luculenter ostendemus, quod status politicus, ut talis spectatus, omni debet carere religione, sed omnibus debet esse indifferens, absque ulla erga aliquam earum prædilectione.

Uno verbo: potestas ecclesiastica civilem considerare debet tamquam á Deo ipso ad bonum temporale homini procurandum institutam, quatenus bono spirituali non adversetur; catholicis inculcare obligationem prædictæ potestati obtemperandi in omnibus ipsi potestati incumbentibus nec legibus cum divinis tum ecclesiasticis adversantibus, necnon transgressiones punire pœnis similibus illis quas statutas habet ad omnia aliorum generum peccata punienda; vicissim potestas civilis ecclesiasticam respicere debet tamquam ab origine divina procedentem, et non tantum generica quadam ratione, sed etiam specificè; á saluberrimo influxu ecclesiasticæ doctrinæ nulla ratione se subtrahere, sed in hujus doctrinæ spiritum alte se imbibere ut universam legislationem institutionesque omnes informet spiritus catholicus; et tandem omni quæ par sit severitate impetus et conatus adversus hanc divinam Religionem coercere.

#### IV.

Jam accedimus ad ultimam nostri propositi partem, quæ refertur ad mutuam utriusque potestatis independentiam, circa quam, majori quam possimus claritate et ingenuitate, nostrum sensum aperiemus.

Frequentissimum equidem est apud auctores hanc quæstionem agitantes affirmari et evincere conari, sicut ecclesiasticam potestatem à civili, ita civilem ab ecclesiastica prorsus independentem esse debere; utraque enim est in genere suo suprema; et hæc *suprematia* penitus evanesceret, si altera esset alteri aliquo modo subjecta; postquam affirmationem, universaliter ab auctoribus in mediùm profertur illud celeberrimum Jesu Christi testimonium: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo*: postea in prolixas eruditasque dissertationes sese extendunt ut patefaciant gravissima quæ secum traheret et de facto traxit mala, si verum sit quod narrat historia, subjectio potestatis civilis potestati ecclesiasticæ, quin desint homines potestatis civilis assentatores et in ecclesiasticam male affecti qui Ecclesiam conspiciere cupientes directioni animorum ad beatitudinem dumtaxat et totaliter incumbentem, ipsam à terrenis omnino solutam volunt, non enim dignæ sunt res hujus mundi ut societas ita excellens ac magnifica ut est ecclesiastica, ad bona divina procuranda instituta, in illis se immisceat; statimque adducunt illa testimonia tam sæpe repetita: *Regnum meum non est de hoc mundo. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Procedamus paulatim. Quæstio prædicta videtur potius ratiocinatione philosophica enucleanda, quam aures præbendo lamentationibus pseudo-politicorum, mala quæ ex Ecclesiæ superioritate in societatem civi-



lem dimanant, nimia cordis sui teneritudine plangentium.

Homo est ante omnia et super omnia ens essentialiter religiosum: indubium autem est hominem ut ens religiosum, tantummodo aliqua, non vero omnia media quibus Deus cultui donari debet apprime cognoscere posse; et per consequens ab obligatione inquirendi et inveniendi totalem et completam, theoreticam et practicam, veritatem religiosam minime potest semetipsum eximere; et cum hæc veritas dumtaxat in religione catholica sita sit, omnino necessarium est, ut naturalibus instinctibus eum ad religionem inclinantibus in sinu Ecclesiæ catholicæ satisfaciat.

Homo tamen catholicus, homo membrum societatis religiosæ universalis quæ *catholicismus* appellatur, est pariter membrum societatis civilis seu status politici; et debet in societate politica officia ipsi à Religione injuncta diligenter obire, seu, quod idem est, debet cunctas vitæ suæ actiones præscriptionibus quas ei religio catholica imponit, accuratius accommodare.

Sed homo ille potest esse membrum privatum societatis civilis, et potest etiam esse membrum potestatis ipsius societatis; et inquirere oportet utrum homo tantum politicus privatus, non vero homo politicus publicus, societati religiosæ obstrictus esse debeat.

Juxta liberalismum hodiernum homo publicus ab omni professione religiosa est totaliter exemptus. Evincedum proinde nobis est adversus hunc perniciosissimum recentioris ætatis errorem, publicum hominem, si catholicus tamquam homo privatus sit, debere etiam, quatenus est homo publicus, actus publicos præscriptionibus ecclesiasticæ potestatis accommodare; quo evicto videtur mihi pariter evictum, civilem statum non esse ab ecclesiastica potestate independentem.

Potestas politica christiana, idest potestas politica per membra Ecclesiæ catholicæ exercita à potestate religiosa omnino pendet in suo exercitio; nam objectum potestatis religiosæ non est aliud quam magisterium

doctrinæ et directio ordinis moralis; et per consequens, si politica potestas actus associatorum dirigere debet ex sui institutione ad bonum felicitatis temporalis, vel dicendum erit quod duplex datur potestas æqualiter independens et suprema respectu actuum humanorum, vel quod politica potestas in actuum sibi priorum, idest, ad humanam felicitatem temporalem tendentium directione, pendet á religiosa; nunc vero absurdissimum esset duplicem dari potestatem independentem respectu unius solius objecti; ergo concludendum est, unicam dari potestatem omnimode et absolute independentem, potestatem nempe religiosam.

Hujusmodi doctrinæ applicationem faciamus ad supremum imperantem. Hic supremus gubernator, si catholicus tamquam homo privatus sit, debet etiam in exercitio suæ potestatis subjectionem ab Ecclesia recognoscere, cum hæc sit alia ex obligationibus ab ipsa religione catholica ipsi injunctis; aliter enim in unum ex his tribus sequentibus absurdis incideremus: *a*), vel princeps potestatem suam exercere valeret aliter quam per actus humanos, *b*), vel actus humani non essent ad normam principiorum æternorum moralitatis accommodandi, *c*), vel principia hæc æterna moralitatis non essent de exclusiva potestatis ecclesiasticæ competentia. Ad evincendam igitur hanc propositionem quæ veluti cardo est totius quæstionis: *Princeps, non modo ut homo privatus, sed etiam ut talis princeps, subditur potestati ecclesiasticæ*, sufficit hoc argumentum *ab absurdo* hic indicatum, quod sane lubenti animo fusius evolverem, si vestra benevolentia abuti non pertimescerem.

Placet hic doctrinam nostram auctoritate eximii Doctoris corroborare: «In spirituali potestate indirecta, ait celeberrimus et numquam satis laudatus doctor jesuita Granatensis Suarez, vim directivam temporalium includi... Reges temporales spiritualiter subditi sunt Petro et successoribus ejus; at vero potestas spiritualis est *ad omnes actus subditorum dirigendos*, quibus vita

æterna perdi vel comparari potest, ut probat indefinitum verbum *Pasce*, et universalis potestas ligandi et solvendi; cum autem in his actibus in christiano principe sit debitus usus potestatis gubernativæ, nam si illa non juste utatur, condemnabitur, ergo ad Pastorem spiritualementalis Principis pertinet facultas dirigendi illum in usu suæ temporalis potestatis, si alicubi à recta ratione aut à fide, justitia vel charitate deviat.» Et alio loco ait: «Etiam principes ut principes subduntur Papæ; nam ut ait Gelasius Papa, in cap. *Duo sunt*, 69 Dist. *Quia pro animabus regum, pontifices sunt reddituri rationem, nam etiam sub ovibus comprehenduntur in illo testimonio: Pasce oves meas.* Et licet hoc videatur ad spirituale regimen tantum spectare, tamen animadvertendum est, quod regula regiminis temporalis, ut sit rectum et honestum, debet esse spiritualis; ergo necesse est ut ipsamet potestas temporaliter regendi reguletur per spiritualement, et hoc est esse illi subjectam et subordinatam; et hac ratione Pontifices reddituri sunt rationem pro regibus et imperatoribus, quia ad illos pertinet corrigere et emendare quicquid ipsi, non solum ut homines, sed etiam ut reges, in usu suæ potestatis peccaverint.»

Nec objiciatur hac doctrina admissa, independentiam Status ab Ecclesia omnino perimi, et proinde civilem potestatem nullo pacto appellari posse supremam; nam utique suprema erit, et nuncupari poterit in omnibus his quæ referantur ad res mere temporales et ad felicitatem temporalem quæ nullam habeat cum rebus spiritualibus connexionem promovendam; non vero in illis quæ licet ad bonum hominis temporale referantur, aliquam habeant cum bonis spiritualibus connexionem; in his enim civilis potestas ab ecclesiastica omnino libera nullo modo se proclamare valet, non quidem propter temporalem naturam rerum de quibus agitur, sed propter earum rerum cum spiritualibus connexionem.

Juvat huic orationi finem imponere, subjungendo errores super doctrina in hoc ultimo præsertim paragrapho enucleata, in Syllabo á fel. rec. Pio P. IX edito damnatos.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Nec tempus nec opportunitas in harum quæstionum ampliorem explicationem me immorari patiuntur: et aliunde satis vestra benevolentia, quam mihi non defuturam merito expectabam, abusus fui. Quapropter finem faciens, ut meæ insipientiæ ignoscatis iterum atque iterum rogabo; vos autem, dilectissimi juvenes, commendabo ut postquam studiis philosophicis et theologis, omni quæ par est diligentia atque solertia, operam navaveritis, quam maxime curetis vestros animos totamque vestri ingenii virtutem ad studium nunquam satis mirandæ constitutionis tum internæ tum externæ Ecclesiæ catholicæ convertatis; ut hac cognitione debita soliditate acquisita, errores in libris et totius generis publicationibus circa sacratissima jura, in temeratamque ecclesiasticam libertatem quotidie grassantes et in dies excrescentes penitus perspectos habere, eosque argumentis invictissimis convellere valeatis. Hac sane ratione, recte facultatibus quibus á Deo donati estis utemini, ipsiusque peramantis nostræ Matris Ecclesiæ benemeriti existetis.

*Dixi.*

